PROLEGOMENA IN JULIANI IMPERATORIS LIBROS QUIBUS IMPUGNAVIT...

Karl Johannes Neumann

PROLEGOMENA

IN IULIANI IMPERATORIS LIBROS

QUIBUS IMPUGNAVIT

CHRISTIANOS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

CAROLUS IOANNES NEUMANN

POSNANUS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXX.

Primi prolegomenon capitis quae desunt una cum capitibus II et III et ipsis Iuliani verbis propediem edentur in scriptorum Graecorum qui Christianam impugnaverunt religionem fasciculo III.

VITA.

Natus sum Carolus Ioannes Neumann anno huius saeculi quinquagesimo septimo in Posnaniae praedio cui nomen est Glogowo, patre Theodoro, matre Iulia e gente Wapler. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis in domo patris instructus anni 1866 tempore auctumnali receptus sum in gymnasium Krotoschiniense, quod tunc florebat rectore Augusto Gladisch, v. cl., doctissimo illo et sagacissimo philosophiae Graecae perscrutatore, viro insigni quadam humanitate praedito et aequa erga omnes benevolentia. Iam vero maturitatis testimonium adeptus a. 1875 tempore paschali Lipsiam me contuli, ubi philologiae operam navarem. Post sex semestria Tubingam migravi, ubi etiam nunc commoror rerum antiquarum studio occupatus. Audivi viros illustrissimos Brockhausium Curtium Drobischium Goeringium Harnackium Langium Lipsium Mendelssohnium Osthoffium Ritschelium Schuererum Lipsienses, Flachium Gutschmidium Harttungium Herzogium Himpelium Rohdium Schwabium Socinum Tubingenses. Interfui Lipsiae exercitationibus societatum philosophae Goeringii, historicae ecclesiasticae Harnackii, antiquariae Langii, philologae Ritschelii quam tunc moderabantur Mendelssohnius et Fridericus Schoell; per bina semestria proseminarii philologi et seminarii ordinarius fui sodalis. Tubingae mihi contigit ut Gutschmidii exercitationibus historicis interessem.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago quam maximas, imprimis autem Ludovico Lange Adolfo Harnack praeceptoribus Lipsiensibus, Alfredo de Gutschmid Tubingensi studiorum meorum fautoribus et adiutoribus benevolentissimis.

PROLEGOMENON

CAPITA TRIA

Caput I.

De fatis librorum Iuliani imperatoris contra Christianos scriptorum.

Iulianum imperatorem in Christianorum communionem baptismo receptum esse exstitit nuper qui negaret Alfonsus Muecke. Qui in vitae Iuliani fasciculo altero p. 70 negat veterum scriptorum aut Christianorum aut paganorum quemquam de baptismo Iuliani quicquam rettulisse. Atque argumentatione sua Fridericum Rode libro qui inscribitur „Geschichte der Reaction Kaiser Iulians gegen die christliche Kirche" Ienae a. 1877 publici iuris facto de temporibus rerum a Iuliano gestarum accuratius discribendis optime meritum si minus in partes suas duxit, at certe commovit, ut in suspenso relinqueret quaestionem; cf. Rodium p. 33 adn. 13. Neque tamen recte dicunt ne unum quidem veterum scriptorum de baptismo Iuliani verba fecisse. Exstat enim locus Cyrilli Alexandrini, cuius haec sunt in acclamatione ad religiosissimum imperatorem Theodosium p. 3 B Aub.: ἦν μὲν γὰρ (sc. Ἰουλιανὸς) πρὸ τῶν τῆς βασιλείας καιρῶν τοῖς πιστεύσασιν ἐναρίθμιος· ἠξιώθη δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ[1]) ἁγίου βαπτίσματος, ἐνήσκητο δὲ καὶ βίβλοις ταῖς ἱεραῖς· ἀλλ' οὐκ οἶδ' ὅπως ἄνδρες αὐτῷ μιαροί τε καὶ δεισιδαίμονες γεγονότες γνώριμοι τοὺς ὑπὲρ τῆς ἀποστασίας καθῆκαν λόγους. εἶτα σύνοπλον εἰς τοῦτο λαβόντες τὸν σατανᾶν παρεκόμισαν εἰς τὰ Ἑλλήνων ἔθη καὶ λάτριν ἀπέφηναν δαιμονίων ἀκαθάρτων τὸν ἁγίαις ἐκκλησίαις καὶ μοναστηρίοις ἐντεθραμμένον. Quo

1) Aubertus καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. Sed Michael Glycas p. 470, 3 ed. Bonn., qui Cyrilli verba exscripsit: ἠξιώθη δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ θείου βαπτίσματος. Oecolampadius verba quae in codice Capnionis invenerat ita vertit: assequutus autem erat et ipsum sacrosanctum baptisma. Neque repugnat scriptura cod. Marciani 123 saec. XIII. Ubi lacuna invenitur inter voces ἠξιώθη δὲ καὶ et τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, in qua nihil nunc comparet nisi accentus circumflexus ante voces τοῦ ἁγίου βαπτίσματος.

loco id nobis non curandum est, quod coniecit Cyrillus rectae fidei defensor de diabolo Iuliani defectionis auctore neque dubitandum, quin verbis τὸν ἁγίαις ἐκκλησίαις καὶ μοναστηρίοις ἐντεθραμμένον rhetorice dictis nihil significare voluerit, nisi Iulianum Christiana institutione usum esse. Quae si statuimus, iam nunc recte se habent omnia: fuisse Iulianum antequam rerum potiretur in Christianorum numero, assidue lectitasse sacra eorum scripta, concepisse veteris religionis amorem auctoribus philosophis renatae doctrinae Platonicae asseclis. Quae cum ita sint, non licet aspernari Cyrilli de baptismo Iuliani testimonium. Quod si ex aliquo scriptore hausit nunc deperdito, gratias ei agemus quod solus nobis servavit huius rei notitiam; sin autem, id quod veri similius est, scripto libro non adhibito quod memoria tenebat litteris condidit, colligendum inde erit non dubitasse eos qui tunc fuerunt homines, quin baptismo in Christianorum numerum receptus esset Iulianus, neque quisquam mirabitur scriptores nihil de ea re litteris prodidisse quae dubitationem non haberet. Neque neglegendum est Cyrilli locum de quo egimus esse in acclamatione ad imperatorem Theodosium. Neque minus quam Cyrilli verba fabulosa de Iuliano narratio Syriace scripta de ipsius baptismo neminem dubitasse confirmat. De quo libello, qui invenitur in codice musei Britannici Rich. 7192 saec. VII. nuper egit Theodorus Noeldeke in actis societatis Germanicae Orientalis vol. XXVIII. a. 1874 p. 660 sqq. Ubi haec inveniuntur a Noeldekio Germanice reddità: p. 668 da sagte er (sc. der Engel) ihm (sc. dem Heiligen): ich wische ihm (sc. dem Julian) das heilige Christentum ab, mit dem er aus der Taufe her bekleidet war; p. 670 ferner sagte der Philosoph Theon, der den Julian aus der Taufe gehoben hatte; p. 670 als eines Tages .... der Philosoph Theon zum Julian sprach: .... Sage mir also, wenn ... du Kaiser wirst, was thust du dann mir, der ich dich aus dem Taufwasser gehoben und dir Weisheit gelehrt habe? Quae quamquam in fabulosa narratione inveniuntur, luculenter tamen ostendunt, quae de Iuliani baptismo senserint qui saec. VI. fuerunt homines. Ei enim tempori tribuendam esse narrationem probavit Noeldekius l. l. Quae cum ita sint, causam esse nego, cur assentiamur Mueckio aut Rodio. Neque vero confidenter pronuntiare dubito Iulianum baptismi participem factum esse, cum Adolfus Harnack animum meum advertisset ad Socratis

verba hist. eccl. V 22 (vol. II. p. 633 Hussey) haec: Ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον εἴτε κατηχούμενοί εἰσιν εἴτε πιστοί, τῶν πανταχοῦ ἐκκλησιῶν πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. Nam Iulianum sacra scripta coram populo recitasse inter omnes constat; cf. Gregor. Naz. or. IV. p. 88 A ed. Bened.: Τῷ μέν γε κλήρῳ φέροντες ἑαυτοὺς ἐγκατέλεξαν, ὥστε καὶ τὰς θείας ὑπαναγινώσκειν τῷ λαῷ βίβλους; neque minus notum est non Alexandriae eum recitasse. Neque igitur iam dubitari potest de baptismo Iuliani. Qui cum postea ad philosophiam Platonicam institutus veterem religionem amplexus esset, dum vivit Constantius, celavit animi commutationem. Sed ubi primum regnum occupavit, continuo orbi terrarum patefecit reliquisse se novam Galilaeorum sectam. Quod si consideramus summo eum studio se dedisse philosophiae, iam antea orationibus scribendis operam navasse, non ita fuisse ab omni ostentatione liberum, ut non necessitatem sibi iniunctam esse censeret cunctis hominibus causas exponendi, quibus permotus relicta Christianorum religione ad maiorum sacra revertisset: peculiari eum opere nemo mirabitur aggressum esse Christianos, deorum cultores defendisse, praesertim cum speraret sine dubio posse se si non omnes at certe multos a foeda superstitione revocare. Atque aperte dicit in epistula LXXIX. Hertl. p. 605 sq., quam in Latinum sermonem conversam servavit Facundus, iniisse se consilium eius modi libri conscribendi; id quod nemo adhuc quod sciam animadvertit. Sed cum secutus morem a Christianis tunc receptum, cuius exemplum luculentissimum exstant Italae quae dicitur sacrorum librorum interpretationis reliquiae, verbum fere de verbo exprimeret Facundus, effecit id, ut Iuliani epistula intellegi vix possit nisi Graecae linguae reddita. Scripsit autem Iulianus haec in epistula ad Photinum haeresiarcham data: „Tu quidem, o Photine, verisimilis videris et proximus salvari[1]), benefaciens nequaquam in utero inducere quem credidisti deum. Diodorus autem Nazaraei magus eius pigmentalibus manganis[2]) acuens irrationabilitatem, acutus apparuit sophista religionis agrestis.“ Vertenda autem videntur hunc fere in modum: Cù

1) 'Salvare' in 'salvari' mutavi.

2) Ita scribendum esse existimo pro tradita scriptura 'manganes', a qua ne Hertlenius quidem recessit.

μὲν, ὦ Φωτεινὲ, πιθανὸς φαίνῃ καὶ ἐγγύτατος τοῦ σώζεσθαι, εὖ ποιῶν ἐν μήτρᾳ μηδαμῶς εἰσάγειν ὃν ἐπίστευσας θεόν· Διόδωρος δὲ ὁ τοῦ Ναζωραίου μάγος αὐτῆς καλλωπιστικοῖς μαγγάνοις ἀκονῶν παραδοξίαν ὀξὺς ἀνεφάνη σοφιστὴς θρησκείας ἀγροίκου. Iam vero paucis verbis intermissis „quod si nobis" inquit „opitulati fuerint dii et deae et musae omnes et fortuna, ostendemus infirmum et corruptorem legum et rationum et mysteriorum paganorum et deorum infernorum[1]) et illum novum eius (sc. Diodori) deum Galilaeum, quem aeternum fabulose praedicat[2]), indigna morte et sepultura denudatum confictae a Diodoro deitatis". Graece: Εἰ τοίνυν ἡμῖν ἐπίκουροι γενήσονται θεοὶ καὶ θεαὶ καὶ Μοῦσαι πᾶσαι καὶ Τύχη, δείξομεν ἀσθενῆ καὶ λυμεῶνα νόμων καὶ λόγων καὶ μυστηρίων Ἑλληνικῶν καὶ θεῶν χθονίων καὶ τὸν νέον αὐτοῦ θεὸν Γαλιλαῖον, ὃν αἰώνιον μυθωδῶς δοξολογεῖ, ἀναξίῳ θανάτῳ καὶ ταφῇ ἀπογυμνωθέντα τῆς συμπλασθείσης ὑπὸ Διοδώρου θεότητος. Quibus verbis quod in animum se induxisse pronuntiaverat Iulianus perfecit, cum relicta Constantinopoli per hibernum a. 362/363 tempus Antiochiae commoraretur. Ubi scripsisse eum libros diis opitulantes memoriae prodidit Libanius, cuius haec sunt in ea oratione, quae inscribitur ἡ ἐπὶ Ἰουλιανῷ μονῳδία (ed. Reisk. I 513, 3 sqq.): ἧκεν (sc. Ἰουλιανὸς) εἰς τὴν μεγάλην τὴν Ἀντιόχου πόλιν, ἤ, εἰ βούλει γε, Ἀλεξάνδρου, τοῦ φίλου τε αὐτῷ καὶ οὐκ ἐῶντος καθεύδειν, ὥσπερ δή τινα στρατηγὸν στρατηγὸς, Ἀθηναῖος Ἀθηναῖον. οὗ δὴ μυρίαι μὲν δικαζόμεναι δίκαι, πολλῶν δὲ θέσεις νόμων, βιβλίων τε συγγραφαὶ βοηθούντων θεοῖς. Quo loco respexisse Libanium ad Iuliani libros contra Christianos editos plane apparet ex eius verbis, quae inveniuntur in epitaphio I 581, 17 sq. R. Ubi postquam narravit imperatorem bellum contra Persas parantem per novem menses in Syria commoratum esse (I 576, 14 sqq. coll. cum I 578, 14 sqq.): τοῦ χειμῶνος δὲ, inquit, τὰς νύκτας ἐκτείνοντος, ἄνευ πολλῶν καὶ καλῶν ἑτέρων λόγων ἐπιθέμενος ταῖς βίβλοις, αἳ τὸν ἐκ Παλαιστίνης ἄνθρωπον θεόν τε καὶ θεοῦ παῖδα ποιοῦσι, μάχῃ τε μακρᾷ καὶ ἐλέγχων ἰσχύϊ γέλωτα ἀποφήνας

1) Falso etiam Hertlenius post vocem 'infernorum' commate interpunxit.

2) Comma post 'praedicat' omisit, post 'sepultura' posuit Hertlenius.

καὶ φλήναφον τὰ τιμώμενα[1]), σοφώτερος ἐν τοῖς αὐτοῖς δέδεικτο τοῦ Τυρίου γέροντος (sc. Πορφυρίου). Iam vero cum Iulianum Antiochiam reliquisse constet a. d. III. Non. Mart.[2]), cognoscimus inde terminum, ante quem scripti sint necesse est ii de quibus agimus libri, si quidem recte statuimus Antiochiae eos ad finem perductos esse. Atque hoc quidem negavit Teuffelius (Pauly's Realencyclopaedie IV 416) tum demum eos perfectos esse contendens, cum Iulianus relicta Antiochia bellum contra Persas gereret. Mirum certe non est imperatorem etiam per armorum strepitum et tubarum sonitum litteris vacasse; neque tamen satis grave est quo Teuffelius nititur Hieronymi testimonium; quem non nego ad accuratiorem notitiam rerum a Iuliano gestarum pervenire potuisse, nam Apollinarem Laodicenum frequenter sese Antiochiae audivisse pronuntiat in epistula LXXXIV. ad Pammachium et Oceanum data I 523 E Vall.². Neque tamen urgenda sunt eius verba, quae inveniuntur in epistula LXX. ad Magnum data (ibid. p. 427 E): Iulianum Augustum VII libros in expeditione Parthica adversum Christum evomuisse; Parthica enim expeditio fieri coepta est relicta Constantinopoli. Neque videtur esse neglegendum Libanii epitaphium esse in numero earum orationum, quae demonstrativae vocabantur; atque in ea oratione veri simillimum est futurum fuisse, ut laudator, qui discipulum admiraretur, verba faceret de philosopho imperatore ne in castris quidem litterarum immemore, si re vera tum demum ad finem perducti essent contra Christianos libri. De quorum tempore exstat etiam Theophanis testimonium (ed. Bonn. p. 80, 13 sqq.), qui eorum mentionem fecit, cum narraret res anno mundi 5855 i. e. a. p. C. n. 362/363 gestas. Ergo non repugnat rationi quam Libanio nixi instituimus. Neque vero Theophanis dissensus ullius momenti esset, quem hausisse sua hoc loco infra ostendemus ex Cyrilli prooemio librorum contra Iulianum scriptorum; ubi cum temporis notitia adscripta

---

1) Τὰ τιμώμενα exhibet codex Bavaricus. Quam scripturam esse recipiendam, reiciendam alteram τὰ λεγόμενα efficitur ex Socratis hist. eccl. III 23, ubi in allato hoc Libanii loco eadem lectio exstat τὰ τιμώμενα.

2) Amm. Marc. XXIII 26: iamque apricante caelo tertium nonas Martias profectus Hierapolim solitis itineribus venit.

sit nulla, ad arbitrium rem egisse Theophanem in anno eligendo plane apparet.

Iam vero quis est qui nesciat Iuliani de quibus agimus libros ad nostram non pervenisse aetatem? Interierunt autem eadem ratione ac ceteri libri, quos perditos esse valde lugemus; qui quidem maximam partem eo perierunt, quod occupatis hominum animis aliarum rerum studiis neque legebantur neque describebantur amplius; id quod eorum qui contra Christianam religionem scripserant libris accidisse iam quarto saeculo exeunte testis est Ioannes Chrysostomus ab anno 398 usque ad annum 404 Constantinopolitanorum episcopus. Ἀλλὰ τοσοῦτός ἐστι, inquit, τῶν ὑπ᾽ αὐτῶν γεγραμμένων ὁ γέλως, ὥστε ἀφανισθῆναι καὶ τὰ βιβλία πάλαι καὶ ἅμα τῷ δειχθῆναι καὶ ἀπολέσθαι τὰ πολλά. Εἰ δὲ πού τι καὶ εὑρεθείη διασωθὲν, παρὰ Χριστιανοῖς τοῦτο σωζόμενον εὕροι τις ἂν (λόγος εἰς τὸν μακάριον Βαβύλαν καὶ κατὰ Ἰουλιανοῦ καὶ πρὸς Ἕλληνας. Ioh. Chrys. ed. Montefalconius II 339D). Huc accedit, quod Porphyrii libros contra Christianos scriptos apud quemcumque inventi essent Theodosius Augustus iussit comburi lege a. d. XIV. Kal. Mart. Constantinopoli Zenone Postumiano coss. (i. e. a. 448) lata. Iniuria autem viri docti qui de hac re scripserunt ad unum omnes contenderunt idem fieri iussisse Theodosium de Celsi, Hieroclis, Iuliani libris. Nituntur autem ipsius legis verbis quae inveniuntur in codice Iustinianeo, ubi non de solo agitur Porphyrio (I, 1, 3): Θεσπίζομεν πάντα ὅσα Πορφύριος ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ μανίας ἐλαυνόμενος ἢ ἕτερός τις κατὰ τῆς εὐσεβοῦς τῶν Χριστιανῶν θρησκείας συνέγραψε πυρὶ παραδίδοσθαι. Neque tamen animadverterunt genuinam huius legis formam exstare in actis concilii Ephesini (sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio ed. Mansi vol. V. 417) in qua, quamquam multis locis est plenior, omnino non inveniuntur verba ἢ ἕτερός τις, quibus solis quod sibi proposuerunt possunt probare. Quae verba ne quis censeat librariorum culpa esse omissa: ne in praefectorum quidem, qui promulgaverunt imperatoris legem (Mansi V 420), edicto inveniuntur, quod brevi post scriptum esse eo efficitur, quod iam ἀνεγνώσθη ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν μοναζόντων ἐν τοῖς ἐρημικοῖς Φαρμουθὶ κγ΄ ἰνδικτιῶνος α΄ ἔτους Διοκλητιανοῦ ρξδ΄ (i. e. a. d. XIV. Kal. Mai. a. p. C. n. 448). Nam etiam ibi de solo agitur Porphyrio. Inculcata autem videntur esse verba ἢ

ἕτερός τις ab iis qui a Iustiniano iussi codicem composuerunt. In iis sane libris manu scriptis codicem exhibentibus quos nunc possidemus quoniam Graece exhibetur omissa est Theodosii lex; sed iam pridem ex Basilicorum libris eam suo loco intulerunt iuris consulti. Neque vero ii censendi sunt ea verba inseruisse, qui nono saeculo exeunte Basilicorum libros composuerunt. Neque enim omittuntur illae voces a Theodoro Balsamone, qui fuit Constantinopoli exeunte saeculo duodecimo; exstat enim lex illa Theodosii etiam in illius ecclesiasticarum constitutionum collectione p. 1233 (τῶν ἐκκλησιαστικῶν διατάξεων συλλογή), quae impressa invenitur in bibliothecae iuris canonici veteris opera Guilelmi Voëlli et Henrici Iustelli tomo altero Parisiis a. 1661 edito p. 1217 sqq. Neque mutuatum esse Theodorum Balsamonem illam legem a Basilicorum libris, sed hausisse eam ex ipsius codicis Iustinianei exemplari, in quo omissa non erat, pro certo affirmari licet, cum verba in Theodori libro legi praemissa Αὐτοκράτορες Θεοδόσιος καὶ Οὐαλεντινιανὸς Αὔγουστοι Ὁρμίσδᾳ ἐπάρχῳ πραιτωρίων in Basilicis non inveniantur. Iam vero quoniam ostendi non saeviisse in Celsi Hieroclis Iuliani libros Theodosium imperatorem, sed mutatam esse eius legem temporibus Iustiniani qui octoginta fere annis post illius mortem ad fastigium regiae maiestatis provectus est, mutata legis forma legis vim adepta est aut a. d. XVI. Kal. Mai. a. 529, quo prior codicis forma, aut a. 534. a. d. IV. Kal. Ian., quo codex repetitae praelectionis augustissimae sanctionis particeps factus est. Neque tamen veri simile est ab eo temporis momento diligenter et accurate inquisitum esse in Christianae religionis inimicorum libros. Vix enim etiam tum opus fuisse inquisitione ex Chrysostomi verbis quae supra adscripsimus plane apparet. Neque quisquam putandus est animadvertisse ad minutam illam legis mutationem, quae in codice tot constitutionum mole referto occultabatur. Ergo conquerenda nobis est temporum invidia, quae nos privavit illis libris, e quibus cum intellegeretur, qualem esse Christianorum religionem putassent philosophi, etiam causae debuerunt cognosci, quibus permoti a deorum cultu non destitissent Graecorum et Romanorum ii, qui litterarum studiis animos excoluerant.

Verissimum autem esse Ioannis Chrysostomi testimonium dicentis libros Christianae religioni infensos, si forte alicubi in-

veniantur, deprehendi apud Christianos, facillime nobis persuadebimus, si ipsam rem spectaverimus. Novae enim sectae asseclis scripti erant illi libri, iis qui maiorum religionem etiam tum pie colerent non item. Quid enim illis opus erat demonstrari foedissimam esse Galilaeorum superstitionem, quae quin perversa esset et longe abicienda numquam dubitaverant? At ipsis Christianis erat probandum longe inferiorem eos profiteri fidem, persuadendum iis erat, ut ad maiorum sacra reverterentur. Imprimis igitur Christianos legisse paganorum libellos nemo iam mirabitur. Habemus autem compertum numquam tergiversatos esse Christianos, cum ad certamen provocarentur. Altero enim saeculo apologiis defendebant crimina, quae ab omnibus in eos intendebantur. Quae peculiaribus libris iis exprobrabant philosophi propulsare studuerunt, quae gravissimam illorum subierant vituperationem summa laude digna esse ut ostenderent vasta conscripserunt volumina. In quibus cum adscribendae essent eae quas refutare voluerunt adversariorum sententiae, iis ipsis refutationibus conservatae sunt permultae illorum librorum reliquiae. Verum enimvero etiam illae Christianae religionis defensiones pleraeque perierunt; nam cum ita corroborati erant Christiani, ut paganos non timerent, quin etiam cum pagani omnino non exstabant, cuius tum intererat cognoscere, quibus ex causis de principio illi recusassent Christianam amplecti religionem?

Ergo nunc agendum nobis de theologis Christianis, qui refutaverunt libros Iuliani imperatoris. Quorum principem esse **Apollinarem Laodicenum** contendit Fabricius (bibl. Graec. VI[4] p. 739), quem secutus est Teuffelius (Pauly's Realencyclopaedie IV p. 416). Teste autem utuntur Sozomeno, qui hist. eccl. V 18, II p. 502 ed. Hussey) de Apollinare οὐκ ἀγεννὴς δὲ, inquit, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν βασιλέα ἤτοι τοὺς παρ' Ἕλλησι φιλοσόφους ἐστὶν αὐτοῦ λόγος, ὃν ὑπὲρ ἀληθείας ἐπέγραψεν· ἐν ᾧ καὶ δίχα τῆς τῶν ἱερῶν λόγων μαρτυρίας ἔδειξεν αὐτοὺς ἀποβουκοληθέντας τοῦ δέοντος περὶ θεοῦ φρονεῖν. τάδε γὰρ ἐπιτωθάζων ὁ βασιλεὺς τοῖς τότε διαπρέπουσιν ἐπισκόποις ἐπέστειλεν· ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. τοὺς δὲ πρὸς ταῦτα ἀντιγράψαι· ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως· εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. Sunt haec Sozomeni verba; sed quomodo ex iis effici potest scripsisse Apollinarem librum suum qui pro veritate inscriptus erat, ut refutaret Iuliani

libros? Num etiam censent δίχα τῆς τῶν ἱερῶν λόγων μαρτυρίας refelli potuisse Iuliani in Christianos accusationes, quarum plerisque vituperabantur sacrae scripturae enuntiata? Neque temporum ratio videtur esse neglegenda. Per hibernum enim anni 362/363 tempus opus suum aggressus est imperator, et quamquam a. d. VIII. Kal. Iul. a. 363 supremum diem obiit, antea iam legisse statuendus est Apollinaris refutationem. En miram Apollinaris festinationem. Cuius librum re vera legit imperator, nam causa non est cur dubitemus de lepido illo dicto, quod ingenio eius minime repugnat. Dubitandum sane est de episcoporum responso. Non dico non ausuros fuisse episcopos tam impudenter respondere imperatori; neque in ea re offendo, quod Sozomenus memoriae prodidit[1]) pro certo affirmari non posse, quis composuerit epistulam; in qua ne potuit quidem auctoris nomen afferri, cum scripta esse statuenda esset multorum episcoporum nomine. Gravissimam autem movet dubitationem, quod ubi de Iuliani epistula verba facit Sozomenus, indicativi forma utitur (ὁ βαςιλεὺς — ἐπέςτειλεν); episcoporum autem meminit responsi accusativo usus coniuncto cum infinitivo (τοὺς δὲ πρὸς ταῦτα ἀντιγράψαι). Ergo ipse veritus est ne temere pronuntiaret de re ea, de qua ne tunc quidem satis constaret. Iam vero exstitisse eo tempore episcoporum epistulam plane apparet ex Sozomeni verbis: ἀλλ' εἴτε αὐτοῦ εἴτε ἄλλου ταῦτά ἐςτιν, ἄγαςθαι δίκαιον ἀνδρείας καὶ παιδεύςεως τὸν γράψαντα. Neque enim potuit laudare eruditionem, nisi aut ipse legerat eam aut is quem auctorem hoc loco secutus est. Quae cum ita sint, conicio composuisse postea episcopos quosdam epistulam et finxisse ea re vera se imperatori respondisse, quae si respondissent, suorum procul dubio habituri fuerunt admirationem.

Neque vero temere nos negasse Iuliani libros impugnavisse Apollinarem etiam magis apparebit, si spectaverimus qua occasione libri qui pro veritate inscribebatur mentionem fecerit Sozomenus. Narraverat autem duodevicesimo quinti libri capite Christianorum eos, qui Graecis litteris summopere studerent, gravissime afflictos esse Iuliani lege (a. d. XV. Kal. Iul. a. 362 data), ne liceret Christianis Graecas litteras edoceri; quarum eo tempore inter hos

1) Eccl. hist. V 18 (II p. 503 ed. Hussey): εἰςὶ δὲ οἱ Βαςιλείῳ τῷ προςτάτῃ τῆς Καππαδοκῶν ἐκκληςίας ταύτην τὴν ἐπιςτολὴν ἀνατιθέαςι· καὶ οὐκ ἀπεικός.

maxime studiosos fuisse cum Basilium et Gregorium Cappadoces, tum Apollinarem Laodicenum. Atque hunc quidem illa lege permotum, ut restitueret detrimentum, consilium cepisse materia ex sacris libris deprompta heroica carmina pangendi, Pindari lyram imitandi, quin etiam Menandri comoedias superandi[1]); neque minus scripsisse contra Iulianum imperatorem et Graecorum philosophos librum qui pro veritate inscriberetur. Dubium igitur esse non potest, quin etiam huius libelli conscribendi causa exstiterit Apollinari lex illa supra commemorata[2]). Quem si consideramus scriptum esse non soli Iuliano, sed etiam aliis Graecorum philosophis, qui cum a veritate aberrassent ea quae non deceret de Deo sentirent, deperditi[3]) libri argumentandi rationem nemo non potest divinare, qui paullum modo versatus sit in hoc litterarum genere. Inhonestos esse et turpes de quibus poëtae agerent deorum mores, philosophorum autem quantam esse dissensionem! Inveniri sane in nonnullorum philosophorum scriptis bonas quasdam sententias neque abiciendas; eas autem depromptas esse omnes ex Mosis scriptis, quem antiquissimis fuisse temporibus et aetate longe anteire omnes Graecorum et poëtas et philosophos satis constaret. Quod si statuimus fuisse libelli argumentum, iam nunc intellegimus quomodo fieri potuerit, ut in eo sacrae scripturae loci non invenirentur. Nam etiam ut Mosis aetatem certis finibus circumscriberent, Graecorum chronographis utebantur Christiani. Huic igitur libello ut responderet dedit Iulianus epistulam suam ad episcoporum eos qui maxime inter ceteros excellebant. Exstat autem eius epistula ad Basilium data inter epistulas Basilii quadragesima (Basilii opera ed. Benedict. III 123) in cuius fine inveniuntur verba ἃ δὲ ἀνέγνων, ἔγνων καὶ κατέγνων, quae cum rebus in epistula tractatis minime cohaerent. Quae sive spuria est sive a Iuliano non abiudicanda: quae modo attuli verba cum non invenirentur

1) Unde efficitur scripsisse contra Iulianum Apollinarem patrem; eum enim poematis conscribendis studuisse, filium contra cui non minus nomen erat Apollinari Platonem imitatum evangelia et apostolorum dogmata in dialogorum formam redegisse auctor est Socrates h. e. III 16.

2) Haud iniuria igitur Theophanes pag. 74, 5 sqq. ed. Bonn., qui hoc loco aut ipso Sozomeno utitur aut ex eodem atque ille haurit fonte Apollinaris librum scriptum esse statuit a. mundi 5854, i. e. a. p. C. n. 362.

3) Nil mirum periisse Apollinaris librum haeresiarchae.

in codicibus Mediceo et Coisliniano, apparet esse interpolata, fortasse a librario eo qui codicem scripsit Harleianum, in quo uno inveniuntur. Idem insequenti epistulae, qua Basilius respondit Iuliano adiunxisse censendus est verba ἃ μέντοι ἀνέγνως, οὐκ ἔγνως· εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως, neque ea ullo vinculo coniuncta cum iis quae antecedunt et scripta in solo codice Harleiano.

Praeter Apollinarem alius quoque eorum qui iisdem temporibus fuerunt contra Iulianum aliquid conscripsisse dicitur. Ebedjesu enim episcopus Sobensis, qui annos p. C. n. 1318 diem supremum obiit, in catalogo librorum omnium ecclesiasticorum exstare tradidit S. **Ephraem Syri** solutionem impietatis Iuliani; cf. Assemani bibl. orient. Clementino-Vatic. III 1, 63a. Atque librum qui inscriberetur solutio impietatis Iuliani pertinuisse ad Iuliani libros veri specie carere non videtur; neque tamen re vera pertinuit. Meminit enim Ebedjesu solutionis eo loco, ubi S. Ephraem Syri attulit carmina. Qua re permotus iam Assemanus recte contendit eandem esse solutionem impietatis Iuliani atque carmen quod S. Ephraem conscripsit 'de persecutione impii Iuliani adversus ecclesiae pastores'. Cf. S. Ephraem acta ex anonymo excerpta in Assemani bibl. or. I 50b. XXVII[1]). Ergo non magis nobis curandus est S. Ephraem quam Gregorius Nazianzenus qui duabus orationibus Iulianum impugnavit.

Primus igitur Iuliani libros refutasse censendus esset **Ioannes Chrysostomus**, si fides esset tribuenda Ioanni Damasceno. In sacris enim parallelis (Ioann. Dam. ed. Lequien II 339) afferuntur Ioannis Chrysostomi verba, quae excipiuntur hoc fragmento: Οὐχ[2]) οἱ ἀσεβοῦντες μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ δυνάμενοι μὲν ἀπαγαγεῖν τῆς ἀσεβείας, μὴ βουλόμενοι δὲ δι' ὄκνον ἢ διὰ νώθειαν[3]) ὁμοίως κολάζονται. In margine autem scriptum est τοῦ αὐτοῦ (i. e. Chrysostomi) et in codice Rupefucaldino, quo quasi fundamento recensionis nititur Lequien, τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ α' πρὸε (sic!) Ἰουλιανόν. Neque tamen inveniuntur ea verba in

1) Ephraemi contra Iulianum carmina edidit Overbeck, S. Ephr. Syri etc. opera sel. Oxonii 1865, vertit Bickell, Zeitschr. f. kathol. Theologie II 1878 p. 335—356.

2) Οὐκ in οὐχ mutavi.

3) Νώθειαν scripsi pro νοθείαν.

Chrysostomi oratione in Babylam habita adversus Iulianum et gentiles (I. Chr. ed. Montefalconius II) neque de hac oratione cogitandum esse efficitur ex codicis Rupefucaldini scriptura ἐκ τοῦ α′ πρὸς Ἰουλιανόν. Nam oratio illa in libros non est divisa. Ergo censendus esset Chrysostomus conscripsisse opus contra Iulianum quod duobus certe libris constaret. Neque tamen id unquam exstitisse credo. Non haereo in ea re, quod nusquam eius mentio facta est; sed saepe aut ipse Ioannes Damascenus aut librarii ii qui sacra parallela descripserunt erraverunt in scriptorum nominibus indicandis. Exempli gratia p. 753 Iustini verba afferuntur ita: ἐκ τοῦ αὐτοῦ πρὸς Ἀντώνιον[1]) αὐτοκράτορα; antecedit autem Clementis Alexandrini locus ex libro VII. strom. Eodem modo pag. 752 Philonis: τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ τελευταίου τῶν ἐν ἐξόδῳ ζητημάτων. Praemittuntur autem Εἰρηναίου ἐκ τοῦ τετάρτου ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Facillime igitur etiam Chrysostomo tribui poterant quae minime ab eo erant profecta. Quod autem in Ioannis Damasceni libro permulta afferuntur loca ex Cyrilli Alexandrini contra Iulianum libris deprompta neque alterius libri mentio fit contra Iulianum scripti, Cyrilli esse ea censeo, quae Chrysostomi esse nego. De quibus infra disputabo plura, ubi de Cyrillo verba faciam et de altero Iuliani libro.

Apollinarem ostendimus impugnasse Iulianum neque tamen eius libros; **Macarium Magnetem** non negandum est scripsisse contra libros Christianae religioni infestos, neque tamen eos fuisse Iuliani erit nobis demonstrandum. Anno autem 1867 repertus est Athenis codex Macarii Magnetis, qui quondam exstitit Venetiis in bibliotheca Marciana. Eundem enim esse codicem Atheniensem atque Marcianum recte contendisse videtur in dissertatione sua, quae est de Macario Magnete et scriptis eius Parisiis a. 1877 publici iuris facta p. 4. L. Duchesne, cuius sententia novo firmari potest argumento. Est enim codex Atheniensis 'chartaceus in 4°, fol. 125, saec. XV., initio et fine mutilus'. Describitur autem codex Marcianus in codicum indice manu scripto, quem ut inspicerem Venetiis factum est insigni Ioannis Veludo praefecti bibliothecae ad Divi Marci Venetiarum voluntate. Inscribitur autem catalogus ita: „Index librorum reverendissimi quondam Cardinalis

1) Scribe Ἀντωνῖνον.

Niceni[1]) confectus mandato clarissimorum Doctorum Dominorum Sebastiani Foscareni, Marci Antonii Venerii, et Nicolai de' Ponte' Gimnasii reformatorum, ut senatus consultum a XV viris factum tertio calendas januarii exsequerentur, ordine literarum servato. M. D. XLV[2])." In quo ita agitur de Macario Magnete: '14 A. Magnetis contra Gręcos, sine tabulis in papyro. n⁰. 625'. Fuit igitur Venetus codex chartaceus neque id dubium esse potest, quin initio fuerit et fine mutilus, cum tabularum caruerit tegumento. Fortasse ad certum finem perduci potest quaestio codice Atheniensi iterum inspecto, in quo complurium inveniuntur librariorum manus. Notum autem est permulta Bessarionem in codicibus suis adnotasse, notissimum minutum ipsius et difficile lectu chirographum; atque eius fortasse exstant exempla in codice nunc Atheniensi.

Quomodo autem inscriptus esset Macarii Magnetis liber non recte explorasse videtur mihi Carolus Blondel, a quo Parisiis a. 1876 editus est Μακαρίου Μάγνητος ἀποκριτικὸς ἢ μονογενής. Neque haesit in inscriptione L. Duchesne. Inveniuntur autem verba haec libro tertio et quarto praemissa, quibus totius operis inscriptionem contineri dicit Blondelius. Ante tertium igitur librum posita sunt haec: Μακαρίου Μάγνητος Ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενὴς πρὸς Ἕλληνας περὶ τῶν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ζητημάτων καὶ λύσεων; quarto praemittuntur haec: Μακαρίου Μάγνητος Ἀποκριτικὸς ἢ Μονογενὴς πρὸς Ἕλληνας περὶ τῶν ἀπορουμένων ἐν τῇ Καινῇ Διαθήκῃ ζητημάτων καὶ λύσεων. Quid autem sibi vult Μονογενὴς πρὸς Ἕλληνας? Luce clarius est transponenda esse verba et scribendum: Μ. Μ. Μονογενὴς ἢ Ἀποκριτικὸς πρὸς Ἕλληνας. Quae emendatio aliis etiam comprobatur argumentis. Leguntur enim etiam haec ante tertium librum: Τάδε ἔνεστιν ἐν τῷ τρίτῳ τεύχει τῶν ἀποκριτικῶν πρὸς Ἕλληνας λόγων; et ante quartum: Τάδε περιέχει ἡ τετάρτη βίβλος τῶν Ἀποκριτικῶν πρὸς Ἕλληνας λόγων. Et ipse Duchesne p. 6 in quattuor codicibus Parisinis, in quibus exstat Ioannis Antiocheni synopsis, ita induci dicit fragmentum Macarianum: Μακαρίου Μάγνητος ἐκ

1) I. e. Bessarionis.

2) Huius indicis apographum esse mihi videtur index quem exhibet codex bibl. Colbertinae 2145, quem publici iuris fecit Montefalconius bibl. biblioth. I 467 sqq.

τῶν πρὸς Ἕλληνας αὐτοῦ ἀποκρίσεων; et p. 7 in codice Vaticano 840 locum Magnetis inveniri f⁰. 166 cum inscriptione τοῦ Μακαρίου Μάγνητος ἐκ τῶν πρὸς Ἕλληνας αὐτοῦ ἀποκρίσεων. Iam nunc oritur difficultas utrum fides habenda sit verbis tertio libro praemissis περὶ τῶν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ζητημάτων καὶ λύσεων, an eis quae ante librum quartum reperiuntur περὶ τῶν ἀπορουμένων ἐν τῇ Καινῇ Διαθήκῃ ζητημάτων καὶ λύσεων. Totius sane operis inscriptionem inesse non posse in prioribus verbis nemo negabit, cum libro quarto non de evangelio, sed de epistularum imprimis agatur locis. Sed dixerit forte quispiam peculiarem tertii libri eo contineri inscriptionem. Neque vero is rem acu tetigerit. Nam in medio tertio libro transitus fit ad tractandos actorum et epistularum locos. Inveniuntur autem haec in indice rerum post caput tertium decimum: Ἑτέρας ὑποθέσεως ἀρχὴ ἐκ τῶν Πράξεων καὶ τοῦ Ἀποστόλου. Epistulae enim novi testamenti inde ab exeunte saeculo II. ὁ ἀπόστολος dicebantur[1]). Exstabant igitur in totius operis inscriptione verba ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ. Latent autem etiam aliae corruptelae in verbis tertio et quarto libro praemissis. Quid enim est ἀποκριτικὸς περὶ λύσεων? Neque recte dicuntur ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ζητήματα p. 49, optime autem p. 155 περὶ τῶν ἀπορουμένων ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ζητήματα. Tum veteres scriptores libros ita inscribere solebant, ut in ipsa uniuscuiusque libri inscriptione inveniretur libri numerus. Quae cum ita sint, a vero vix aberrabimus, si ita inscriptos fuisse censemus quinque (de numero cf. Duchesne p. 15 sq.) Macarii Magnetis libros: Μακαρίου Μάγνητος Μονογενὴς ἢ ἀποκριτικὸς πρὸς Ἕλληνας. Περὶ τῶν ἀπορουμένων ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ζητημάτων καὶ λύσεων λόγος α΄, β΄, γ΄, δ΄, ε΄. In quibus invenitur disputatio philosophi cuiusdam Graeci, qui Christianam accusat religionem, cum Macario Magnete habita. Quam re vera numquam ita habitam esse ostendit orationum longitudo et servatus in Macarii refutationibus philosophi criminationum ordo. Atque effecit Duchesne p. 21 ex diverso sermonis genere, quo uterentur philosophus et Macarius, mutuatum esse illum philosophi crimina ex libro quodam contra Christianos scripto. Quam comprobavit con-

1) De quibus actorum et epistularum locis quaestiones institutae sint, intellegitur ex indicibus libris tertio et quarto praemissis.

iecturam Theodorus Zahn eo quod redargui non potest argumento. Animadvertit enim in dissertatione sua de Macario scripta (Brieger's Zeitschrift für Kirchengeschichtè II 3 1878 p. 453) eorundem interdum locorum ex libris sacris repetitorum alias inveniri scripturas apud philosophum alias apud Macarium. Sed unde deprompta sunt philosophi crimina? Nam ea ex complurium libris esse compilata credat Iudaeus Apella. Unum enim in omnibus est dicendi genus, una argumentandi ratio. Ac de Iuliano quidem cogitavit Moellerus (Schuerer's theologische Literaturzeitung 1877 Nr. 19 p. 525), cogitasse videtur Theodorus Zahn (loco supra allato p. 452), permotus uterque duobus Macarii locis, ubi philosophus sui temporis rationem reddere videtur. Pagina enim 163 plus trecentos annos dicit transiisse post extremas Christi orationes. Καὶ ἰδοὺ, inquit, τριακόσια ἢ καὶ περαιτέρω διΐππευσεν ἔτη; pagina autem 160, 6 post scriptam Pauli ad Thessalonicenses epistulam priorem itidem trecentos annos. Dubium enim non est, quin Blondelius recte mutaverit ἔτη τριάκοντα in ἔτη τριακόσια. Atque etiam afferre quaedam possum, quae in philosophi verbis Iulianum olent. Ita p. 55, 2 verba quaedam Matthaei ὕθλων καπηλικὸν dicit philosophus: Iulianus apud Cyrillum p. 238 E Christianos vituperat, quod cauponum vitam imitentur: βίοις ἀνθρώπων ἑτέρων, καπήλων ... ἁρμόττειν ᾠήθητε χρῆναι τὰ παρ' ὑμῖν. Idem p. 39 A profitetur τὰς αἰτίας ἐκθέσθαι πᾶσιν ἀνθρώποις ὑφ' ὧν ἐπείσθη[ν], ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμα ἐστίν. Eodem modo philosophus p. 56, 10 εἰ γὰρ ὄντως ἀληθὲς τοῦτο καὶ μὴ πλάσμα τυγχάνει; p. 57, 12 ὅθεν, ὡς ἐγὼ κρίνω, πλάσμα τῆς ἱστορίας ταύτης ἡ ἀφήγησις; p. 57, 14 εἰ δ' οὖν πλάσμα τυγχάνει et saepius. Optime etiam exclamari potuerunt a Iuliano voces p. 55, 15 φεῦ τῆς ἀπαιδευσίας! φεῦ τῆς κωμικῆς πλάνης! et si philosophus p. 55, 11 ὦ μῦθος, inquit, ὦ λῆρος, ὦ γέλως ὄντως πλατὺς respondent Iuliani verba ironice dicta p. 224 D ὦ μέγεθος ἀρετῆς! ὦ σοφίας πλοῦτος! Atque etiam ea quae p. 56, 20 sqq. de barbarorum pugnis dicuntur, facile possunt esse Iuliani. Maximi autem momenti videtur hoc esse. Iam supra dixi in medio libro tertio transitum fieri a tractatis evangeliis ad examinandos reliquos novi testamenti libros. Iam si consideramus perditos esse primum et quintum Macarii librum, collecta philosophi crimina idem statuenda sunt spatium occupasse atque duo

Iuliani libri. Quid? quod ipse Iulianus p. 218 A profitetur peculiariter se acturum esse de evangeliorum prodigiis? id quod fecisse eum altero operis sui libro efficitur ex p. 261 E, ubi in Christi genealogiam, in qua referenda differant Matthaeus et Lucas, diligenter se inquisiturum esse dicit in altero libro. Tertio autem verisimile esse in examen eum vocasse reliqua novi testamenti scripta in altero prolegomenon capite exponemus. Haud absona igitur videtur esse coniectura servatam esse in Macarii Magnetis apocritico magnam alterius et tertii librorum Iulianeorum partem, et alterius finem, tertii initium in medio libro tertio apocritici inveniri, ubi exstant verba ἑτέρας ὑποθέσεως ἀρχὴ ἐκ τῶν πράξεων καὶ τοῦ ἀποστόλου. Blanda coniectura — neque tamen accipienda. Multa enim sunt in philosophi fragmentis quae a Iuliano aut dici non potuerint aut dicta non esse possit demonstrari. Iam initium faciamus ab iis rebus, quae minoris momenti sunt. Dicit philosophus p. 23, 16 sqq.; 162, 6 sqq. de innumerabili Christianorum multitudine fidei causa ad mortem ducta; id quod melius dixisse Porphyrium vel Hieroclem, qui libros suos scripserunt dum persequuntur Christianos, quam Iulianum imperatorem, quem constat vim in illos non adhibuisse, unusquisque sibi persuadebit. Pagina autem 57, 16 philosophi inveniuntur verba ἐν Ἰουδαίᾳ γῇ, cum Iulianus semper dicat ἡ Ἰουδαία aut γῆ Ἰουδαία, Ἰουδαία γῆ non item. Quid? quod cum ne uno quidem loco Christianorum nomine utatur Iulianus, quos semper Galilaeos vocet, in philosophi fragmentis Galilaeorum non fit mentio, quin etiam p. 201, 5 memorantur Χριστιανοί?[1]) Gravissima autem argumenta eo sunt repetenda, quod apud alios scriptores exstant Iuliani librorum fragmenta, quibus de iisdem rebus agatur atque philosophi quibusdam locis, sed ita, ut aut proferatur sententia, quae philosopho repugnet, aut eadem sententia aliis verbis sit consignata atque eo modo, ut non idem esse Iuliani atque philosophi fragmentum plane appareat neque potuisse Iuliànum alio loco de eodem scripturae versu ita agere, ut inde depromptum esse videretur philosophi Macariani fragmentum. Non dico philo-

1) Hiatus quoque evitandi etiam studiosior Iuliano fuisse videtur philosophus Macarianus. Qua tamen e diversitate cave argumentum petas. Nam cum ipse Macarius severior esset in hiatu admittendo, fieri potuit, ut etiam philosophi verba consuetudini suae accommodaret.

sophi verba p. 53 sequi debuisse Iuliani fragmentum a Theodoro Mopsuesteno servatum (Th. M. in N. T. comm. ed. Fritzsche p. 16) neque tamen hoc in Macario inveniri; dixerit enim forte quispiam omissum id esse a Macario. Sed p. 98 vituperat Christum, quod non morigeratus diabolo iubenti eum de templo se demittere responderit οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου. Accurate autem etiam Iulianum in historiam tentationis Christi inquisivisse compertum habemus ex eodem Theodoro p. 12 sqq. Atque ipsum etiam in examen vocasse illud Christi responsum intellegitur ex Theodori verbis p. 13, 19 sqq. Sed alia praemissa erant Iuliani verba, quae ipsa quoque ad tentationem Christi pertinebant. Cf. Th. M. p. 13, 11 sqq., 13, 17 sqq., 14, 19 sqq., 15, 2 sqq. Neque vero hoc loco tam facile statuendus est Macarius quaedam omisisse; nam hic quae omissa essent non secuta esse, sed praemissa statuenda essent. Verum enim vero philosophi verba inducuntur verbis his: φέρε δέ σοι κἀκείνην τὴν λέξιν εἴπωμεν, unde intellegitur ad novam rem tractandam transitum fieri; neque causa omittendi satis appareret. Pagina autem 198 Pauli dictum vituperat philosophus quod invenitur in epistula ad Corinthios data prima cap. 6, v. 11. Quid? quod eandem sententiam aliis verbis explanavit Iulianus in fragmento a Cyrillo servato p. 245 A sqq.? Statuere autem poterimus de controversia duobus locis in medium prolatis. Eadem enim sententia, sed aliis omnino verbis philosophus egit de Matthaei v. 21 capitis IX: πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα καὶ δὸς πτωχοῖς καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανοῖς, aliis omnino Iulianus de Lucae cap. 12, 33: πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα καὶ δότε πτωχοῖς.[1]) ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλλάντια μὴ παλαιούμενα. Utriusque autem verba praestat, ut opinor, adscribere.

Philosophus pag. 58, 15 sqq.

Ὅθεν δοκεῖ μοι ταῦτα (Matth. XIX 24) μὲν τοῦ Χριστοῦ μὴ τυγχάνειν τὰ ῥήματα, εἴ γε τὸν τῆς ἀληθείας παρεδίδου κανόνα, ἀλλὰ πενήτων τινῶν τὰς τῶν πλουτούντων οὐσίας ἐκ τοιαύτης κενοφωνίας ἀφαιρεῖσθαι θελόν-

Iulianus ap. Photium, Amphil. 100 ed. Oeconomus (Athenis 1858) = 101 ed. Hergenroether (Patrol. Graec. cur. Migne vol. CI. p. 617 A).[2])

Ἀκούσατε καλοῦ καὶ πολιτικοῦ παραγγέλματος·

1) ἐλεημοσύνην exhibet Lucas.

2) Ne mireris, quod patrologiam Graecam a Mignio editam hoc

των. ἀμέλει γοῦν χθὲς, οὐ πάλαι, γυναιξὶν εὐσχήμοσι ταῦτ' ἐπαναγινώσκοντες 'πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα καὶ δὸς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανοῖς', ἔπεισαν πᾶσαν οὐσίαν ἣν εἶχον καὶ ὕπαρξιν διανεῖμαι πένησι, καὶ αὐτὰς εἰς ἔνδειαν ἐλθούσας ἐρανίζεσθαι ἐξ ἐλευθερίας εἰς ἄσεμνον ἀπαίτησιν ἐλθούσας, ἐλεεινὸν ἐξ εὐδαιμονίας ἐπελθούσας πρόσωπον, καὶ τέλος ἀναγκασθείσας ἐπὶ τὰς ἐχόντων οἰκίας ἀπιέναι, ὅπερ ἐστὶ τῆς πρώτης, μᾶλλον δ' ἐσχάτης ὕβρεώς τε καὶ συμφορᾶς, τῶν οἰκείων ἐκπεσεῖν εὐσεβείας προσχήματι, καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρᾶν ἀνάγκῃ τῆς ἐνδείας. Ἐξ ὧν δοκεῖ μοι ταῦτα γυναικὸς εἶναι καμνούσης τὰ ῥήματα.

'πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα καὶ δότε πτωχοῖς· ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλλάντια μὴ παλαιούμενα'. ταύτης τίς εἰπεῖν ἔχει πολιτικωτέραν τῆς ἐντολῆς; εἰ γὰρ πάντες σοι πεισθεῖεν, τίς ὁ ὠνησόμενος; ἐπαινεῖ τίς ταύτην τὴν διδασκαλίαν, ἧς κρατυνθείσης οὐ πόλις, οὐκ ἔθνος, οὐκ οἰκία μία συστήσεται; πῶς γὰρ πραθέντων ἁπάντων οἶκος ἔντιμος εἶναι δύναταί τις ἢ οἰκία; τὸ δὲ, ὅτι πάντων ὁμοῦ τῶν ἐν τῇ πόλει πιπρασκομένων, οὐκ ἂν εὑρεθεῖεν οἱ ἀγοράζοντες, φανερόν ἐστι καὶ σιωπώμενον.

Quis igitur est qui fieri potuisse censeat, ut Iulianus cum altero loco philosophi verbis usus esset, altero ea quae a Photio servata sunt proferret? Philosophi igitur fragmentum non depromptum est ex Iuliani libris. Est autem operae pretium animadvertere, quanta sit dicendi differentia: sedata enim oratione argumentatur philosophus, alacre et excitatum Iuliani ingenium apparet ex oratione interrogationibus referta. Neque minus insigne est alterum exemplum. Philosophus enim negat exstare quicquam librorum a Mose scriptorum; omnes enim, qui eius nomine ferrentur postea ab Esdra esse conscriptos. Nam Μωυσέως, inquit p. 54, 3, οὐδὲν ἀποσώζεται. συγγράμματα γὰρ πάντα συνεμπεπρῆσθαι τῷ ναῷ λέγεται. ὅσα δ' ἐπ' ὀνόματι Μωυσέως ἐγράφη μετὰ ταῦτα, μετὰ χίλια καὶ ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη τῆς Μωυσέως τελευτῆς ὑπὸ Ἔσδρα καὶ τῶν ἀμφ' αὐτὸν συνεγράφη. De Iuliano autem Cyrillus p. 168 A ποτὲ μέν φησι, inquit, τὸν ἱεροφάντην Μωυσέα δημαγωγοῦντα μᾶλλον ἢ ἀληθεύοντα τοὺς

---

loco laudavi: quaestionum Amphil. editio, quae vol. CI. continetur, non veterem quandam editionem repetivit, sed novam praebet Hergenroetheri recensionem.

περὶ θεοῦ ποιήσασθαι λόγους, οὔτε ἔχοντας ὀρθῶς οὔτε μὴν ἐοικότως αὐτῷ (sc. θεῷ) γεγονότας. ποτὲ δὲ τὸν Ἔσδραν ἀπὸ γνώμης ἰδίας προσεπενεγκεῖν τινα διατείνεται. Differt igitur Iulianus eo a philosopho, quod cum ille quicquam Mosis servatum esse neget, omnia ab Esdra esse supposita contendat, ipse exstare quidem censet Mosis libros, sed ab Esdra esse quaedam adiecta. Iam nunc dubium non est, quin alius sit philosophus Macarianus, alius Iulianus imperator. Sed meminerit forte quispiam trecentorum illorum annorum, quos post Christi mortem transiisse philosophus dicit. Sed eum memorem esse iubeo dialogum finxisse Macarium. Itaque quam in libro quem exscripsit invenit temporis discriptionem — quam non adiectam esse ab eo, sed ab ipso pagano positam sententiarum ordo docet — mutatam suae accommodavit aetati.[1]) Neque vero quicquam eum mutasse censeo nisi quod trecentos posuit annos, ubi ducenti in codice exstabant. Quod si mecum statuis in Porphyrium quadrat temporum ratio, quem refutatum esse a Macario Wagenmannus iam coniecit, cuius de Porphyrio et fragmentis anonymi Macarianis exstat disputatio in annalibus iis, qui inscribuntur Jahrbücher für deutsche Theologie. vol. XXIII. 1878 fasc. 2. p. 269 sqq. Quibus de fragmentis cum accuratius mihi agendum sit in scriptorum Graecorum qui Christianam impugnaverunt religionem fasciculo altero, quo fragmenta Porphyrii et Hieroclis collecta proponentur, nunc satis habeo duo argumenta attulisse, quibus confirmare me posse puto Porphyrii magnam partem a Macario nobis esse servatam. In eo enim, de quo modo egi fragmento p. 54, 5 mille centum et octoginta annis post Mosis mortem sua Esdras dicitur conscripsisse. Ubi minime intererat scire quantum fuisset tempus inter Mosem et Esdram, nedum opus fuisset tam accurata temporum discriptione. Quid igitur verisimilius quam ab eo hunc locum esse scriptum, qui temporum rationibus definiendis maximam operam navaverat, qui ipse quoque opus chronologicum conscripserat, h. e. a Porphyrio? Quem autem potiore ratione statuemus p. 94 sq. vehementissime invectum esse in sacramentum corporis dominici, quod immane esset hominis carne hominem vesci, quam eum qui ab animalibus omnino iuberet abstinere, cuius etiam nos gaudemus quattuor libris περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων?

1) De Macarii aetate cf. digressionem infra positam.

Digressio de aetate Macarii Magnetis.

Ostendit Theodorus Zahn commentatione sua doctrinae et bonae frugis plena, quae exstat in Briegeri annalibus historicis ecclesiasticis vol. II. 3 p. 452 sqq. 1878, scriptum esse Macarii Magnetis apocriticum circa exitum saeculi quarti. Neque iniuria dicit, si exploratum esset tempus, quo Babylon Assyriorum metropolis a Persis vastata esset, fore ut statuere possimus, utrum circa annum 390 an 410 libros suos Macarius conscripserit. Nam de Babylonis vastatione recentissima egit Macarius VI 11 p. 170, 10 sqq.: μέχρι τοῦ νῦν βασιλικὴ τῶν Ἀccυρίων μητρόπολιc γέγονεν ἡ καλουμένη Βαβυλὼν, ὀκτακοcίουc καὶ πεντήκοντα cταδίουc ἐν κύκλῳ περιβαλοῦcα, εἶτ᾽ ἐπὶ πεντήκοντα πήχειc τοῦ περιβόλου τὸ πλάτοc εὐρύναcα, καὶ διακοcίουc καὶ πεντήκοντα τὸ ὕψοc ἐπάραcα, ἄμαχόc τιc οὖcα καὶ ἀνάλωτοc, δεύτερον δ᾽ ὑπὸ[1]) Περcῶν ἐρημωθεῖcα οὐδ᾽ ἴχνοc τῆc παλαιᾶc εὐδαιμονίαc cώζει. Iam vero Babylon erat deserta, postquam a Traiano vastata est et ab Avidio Cassio funditus eversa; Macarius autem suo tempore urbem de qua egit dirutam esse tradidit neque a Romanis, sed a Persis. Quae cum ita sint, statuendus est confudisse Babylonem et Ctesiphontem loquendi more adductus. Ctesiphon autem Persarum caput a Persis vastari non potuit nisi orto bello intestino. Iam vero haec inveniuntur apud Amri interpolatorem de Achaeo Ctesiphontis episcopo (Assemani bibl. orient. III 1 p. 369a): 'Achaeum Iezdegerdes singulari benevolentia complectebatur, et paullo post assumptum episcopatum in Persidem eum ablegavit ad componenda quaedam magni momenti dissidia, quae ipsi Iezdegerdi cum Bihuro Saporis filio[2]) suoque germano Persidis principe emerserant. Illuc itaque profectus Achaeus negotium pro quo legatus fuerat, ex sententia expedivit'. Episcopus autem Ctesiphontis erat Achaeus ab anno 411 usque ad annum 416 (cf. Assemani III 1 p. 369a III); itaque non multo post annum 411 legatione functus est. Inde autem, quod anno 410 synodus habita

1) δ᾽ ante ὑπὸ adieci.

2) Cui non Bihuro nomen fuisse, sed Behwaro vel Behbôdho adnotavit Noeldeke v. ill., Geschichte der Perser und Araber zur Zeit der Sasaniden. Aus der Arabischen Chronik des Tabari übersetzt etc. Leyden 1879 p. 75 adn. p. 436a adn. 10.

est Seleuciae, efficitur eo tempore integram fuisse etiam Ctesiphontem; quam nunc contendimus aut exeunte anno 410 aut anno 411 vel 412 vastatam esse. Neque enim quicquam compertum habemus de altero bello intestino iis temporibus coorto, quamquam non ita tenui eorum temporum notitia instructi sumus. Ergo scripsit Macarius libros suos post annum 410. Remanet autem difficultas ea, quod re vera eum de vetere Babylone verba facere ex descriptione urbis apparet. Eo igitur in errorem inductus, quod Ctesiphon tunc saepissime diceretur Babylon, re vera putasse censendus est Babylonem tunc vastatam esse. Quod autem ita errare ne is quidem potuit, qui in Syria vitam degeret, etiam eo refutatur Duchesnii coniectura, quam Zahnius l. l. p. 452 iam redarguit, comprobatur Lequienii sententia a Moellero et ipso Zahnio accepta, fuisse Macarium episcopum Magnesiae prope Maeandrum sitae.

Iam vero de studiis Iulianeis **Theodori Mopsuesteni** agamus. Quorum accuratiorem notitiam asseculi sunt viri docti anno 1788, quo Fridericus Muenterus in libri qui inscribitur fragmenta patrum Graecorum fasciculo primo Hafniae edito p. 72 sqq. sex edidit Theodori fragmenta quae „exscripserat in bibliotheca Corsiniana Romae ex apographo viri cuiusdam docti, quem Fogginum fuisse suspicatur, sumpta ex codice Palatino XX catenam Patrum in Lucam exhibente“. Ac primo quidem fragmento praemissa sunt verba haec: Θεοδώρου Μοψουεστίας ἐκ τῆς πρὸς τὰ κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας Ἰουλιάνου[1]) τοῦ παραβάτου. E quibus effecit Muenterus scripsisse Theodorum Mopsuestenum contra Iulianum librum, qui inscriptus esset Θεοδώρου Μοψουεστίας κατηγορία πρὸς τὰ κατὰ Χριστιανῶν Ἰουλιάνου[2]) τοῦ παραβάτου. Neque tamen ita inscribi potuit. Neque enim accusationi locus, sed refutatione opus erat. Quod autem maximi momenti est: non permittunt linguae Graecae rationes, ut coniungantur voces ita ut voluit Muenterus. Concedet autem unusquisque corruptum esse locum neque negabit lenissima mutatione scribendum esse πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας. Tunc sane deest genetivus

1) Scribe Ἰουλιανοῦ.

2) Cf. quae supra adnotavi.

substantivi cum articulo τῆς coniungendi; sed supplendum sine dubio συγγραφῆς eodem modo, quo in verbis quinto fragmento praemissis ἐκ τῆς πρὸς Ἰουλίανον.[1]) Quid? quod fieri potest, ut non recte legerit Muenterus quod in codice scriptum erat? Inveniuntur enim verba haec in Leonis Allatii diatriba de Theodoris (Mai, nova patrum biblioth. VI p. 30): „Adversus Iuliani apostatae calumnias in Christianos, laudatur in catena Graeca ad Lucam: Θεοδώρου Μοψουεστίας ἐκ τῶν πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου. Ex commentariis Theodori Mopsuesteni adversus Iuliani desertoris criminationes in Christianos". Ac recte legisse Allatium veri simile mihi videtur etiam aliam ob scripturam, in qua differt a Muentero; veri similius enim esse in codice ἐκ τῶν quam ἐκ τῆς πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας scriptum esse inde efficitur, quod alteri Theodori fragmento praemittuntur verba Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν αὐτῶν. Eo igitur modo, quo Muenterus putavit, non inscriptus erat Theodori contra Iulianum liber. Quem omnino non exstitisse ostendebat Otto Fridolinus Fritzsche qui de Theodori Mopsuesteni vita et scriptis commentationem historicam theologicam Halis anno h. s. 36 publici iuris fecit.[2]) Contendit autem Fritzschius p. 81 fuisse ea quae Muenterus publicavit fragmenta in commentario, quo Theodorus evangelium Lucae illustrasset. Id quod mihi non persuasit. Neque enim probavit Theodorum peculiari opere Iulianum non impugnasse et gravissimae accepta Fritzschii sententia oriuntur difficultates. Levissimum enim est quod dicit manifestum esse verba Θεοδώρου Μοψουεστίας ἐκ τῶν πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου non continere titulum libri Theodorei, sed eius esse qui illa excerpserit. Putat igitur finxisse excerptorem ea quae scripsit; id quod statuere vetamur arte ac ratione, nisi causae exstant gravissimae. Gravissimum autem certe non est, quod Fritzschius „illud etiam" inquit „Muenteri coniecturam aliquatenus infringit, quod illa fragmenta in catena exhibita sunt atque in iis ipsis istius modi libri nullum indicium est". Num igitur omnes libros exstitisse negandum est, quorum in uno tantum

1) Scribe Ἰουλιανόν.

2) Huius commentationi debeo notitiam sententiarum Muenteri, cuius librum mihi comparare non potui.

libro mentio fiat? Et quid mirum in catena inveniri fragmenta librorum contra Iulianum scriptorum, in quibus fieri non potuerit, quin innumerabiles sacrae scripturae loci illustrarentur? Quid mirum, cum in catenis a Cramero Oxoniae editis multa inveniantur ex Cyrilli Alexandrini contra Iulianum libris hausta? Neque concedere possum facilius Theodorum Lucae v. II 32 provocatum esse statui ut ea quae primo fragmento continentur disputaret, quam eo ipso qui ea excerpsisset commotum esse, ut ex istiusmodi Theodori libro fragmentum illud catenae insereret. In Iuliani enim verbis[1]) τοῦ χάριν πολὺ μὲν εἰς τοὺς Ἰουδαίους ἔπεμπε τὸ προφητικὸν χάρισμα καὶ τὸν Μωυσέα καὶ τὸ χρῖσμα καὶ τοὺς προφήτας καὶ τὸν νόμον καὶ τὰ παράδοξα καὶ τὰ τεράστια τῶν μύθων; Ἀκούεις γὰρ αὐτῶν βοώντων· ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος. Ἐπὶ τέλους δὲ καὶ τὸν Ἰησοῦν ἔπεμψεν ἐκείνοις nihil ex Luca depromptum impugnatur, quin etiam ne invenitur quidem. Ac ne iis quidem verbis, quibus Theodorus Iuliano adversatur, ex Lucae evangelio quicquam affertur. Qui autem ex celeberrimorum patrum scriptis catenam congerere studeret, eum nemo mirabitur multa in usum suum convertisse, quae quamquam non de industria ad illustrandum aliquem sacrae scripturae locum scripta erant, re vera eum illustrabant aut illustrare videbantur. Atque etiam eum de quo nunc disserimus excerptorem ita egisse nil mirum. Sunt enim in fragmento primo p. 11, 12 sqq. verba haec: Ὑφ' ἕνα ἄνδρα τοσούτων γενομένων ἐθνῶν καὶ θεῶν τῶν ἀρξάντων ποτέ, πάλαι μὲν ὑπὸ Μακεδόσι μόνοις γεγενημένων, εἶτ' αὖθις ὑπὸ Ῥωμαίοις, καὶ ζητούντων θεόν, ᾧ περ ἀσφαλῶς καταπιστεύσειαν ἑαυτούς, ἐν τούτοις ὤφθη Χριστὸς καὶ δεομένοις ἐπεφάνη κατὰ καιρόν, πρότερον μὲν οὐ κατὰ ἔθνη, ἀλλὰ κατὰ ἄνδρα ἐκλεγόμενος ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, οὓς ἀνεύρισκε πειθομένους, νῦν δὲ κατὰ ἔθνη. Quae quidem procul dubio potuerunt afferri ad illustrandum sermonem Symeonis Luc. II 30 sqq. εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου, ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν, φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ. Sed quae ab excerptore afferri, ab eo qui in perpetuo

---

1) Theodori episcopi Mopsuesteni in novum testamentum commentariorum quae reperiri potuerunt. ed. O. F. Fritzsche. Turici 1847. p. 10, 2.

commentario eum locum illustrare vellet, scribi non potuerunt. Neque alia est res in fragmento altero. In eo quo de Lucae versu disserere voluisset Theodorus neque Fritzschius dixit neque equidem dicere possum. Sed cum in eo quaeratur, qua de causa saepissime commutatum sit, orbis terrarum imperium, non difficile est intellectu, qua re permotus etiam hunc locum exscripserit excerptor. Agitur enim in iis ipsis quae modo attuli Theodori verbis de omnibus hominibus tempore Christi in unius populi potestatem redactis. Iam vero omnia quae Muenterus attulit Theodori fragmenta propter Iuliani quasdam sententias disputata sunt; atque in altero etiam et sexto fragmento rem ita se habere in capite altero ostendam, ubi uberius de iis agendum erit. Quae cum ita sint, mirum sine dubio videtur in omnibus his fragmentis de Iuliano agi, si re vera ex commentario in Lucae evangelium scripto excerpta sunt; praesertim cum in aliis commentariis ne uno quidem loco Iuliani mentionem fecerit Theodorus. Quem etiam in commentario in XII prophetas scripto uberius contra Iulianum disseruisse falso dixit Fritzschius p. 81; in vasto enim volumine ne unus quidem eius modi locus invenitur. Carere igitur omni veritatis specie Fritzschii sententiam quoniam ostendi, nunc rem afferre mihi liceat meo quidem iudicio gravissimam. De eo fragmento nobis agendum est, quo Theodorus impugnat censuram quam historiae tentationis Christi egit Iulianus p. 12, 22 sqq. Neque enim Christianae religionis adversarius huius rei fonte omnino usus est Lucae evangelio, sed qui ab illo compluribus in rebus differt Matthaeo; id quod fugisse videtur theologum doctissimum. Nam ad versum ἐπὶ παντὶ ῥήματι θεοῦ, pag. 13, 18, libere adnotat: cf. Luc. 4, 4. At enim is versus in Lucae evangelio omnino non invenitur, sed a Matthaeo (IV, 4) petitus est, cuius verba haec sunt: οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ. Neque rectius ad Lucae v. IV 3 Fritzschius nos revocat in adnotatione ad p. 13, 20: εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι ἄρτοι γίνωνται, cum Lucae verba haec sint: εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ ἵνα γένηται ἄρτος, Matthaei autem (IV 3) εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται fontem Iuliani hoc loco se esse luculentissime demonstrent. Nec magis p. 14, 19 verba τί δὲ θαυμάζεις, ὅ τι μὴ ὄντος ὄρους ὑψηλοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ λέγεται ὁ διάβολος ἀναγαγεῖν αὐτὸν εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν;

scribi potuerunt Matthaei evangelio non adhibito; ubi vox ἀναγαγεῖν fortasse ex Luc. IV 5 deprompta est, cum Matthaeus ibi usus sit verbo παραλαμβάνειν; sed verba εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν etiam hoc loco a Matthaeo (IV 8) petita sunt atque ea ipsa quam maxime esse urgenda quis est quin videat? Certum igitur est non in commentario evangelii S. Lucae haec scripsisse Theodorum. Ac ne excerptor quidem recte egit, qui hoc fragmentum in catenam ad Lucae evangelium recepit; sed excusari potest, cum in historia tentationis Christi referenda Lucas et Matthaeus non nimis inter se differant et uno saltem loco dubium non sit, quin Lucae verbis usus sit Theodorus: verba enim p. 14, 21 ἐν στιγμῇ χρόνου, quae apud Matthaeum non inveniuntur, ex Luca (IV 5) deprompta sunt. At obiciet fortasse Fritzschius exstare Theodori Mopsuesteni fragmentum in actis c. C., quod de commento secundum Lucam evangelii depromptum esse apertissime traditum sit. Cf. p. 12, 6 sqq. Sane. Sed quid refert? Num impugnatur eo Iulianus aut saltem aliqua eius sententia ibi affertur? Minime. Quid ergo pluribus opus est verbis? Duo statuendus est Theodorus Mopsuestenus scripsisse opera, alterum contra Iulianum, ex quo exscripta sunt fragmenta a Muentero edita; altero illustravit secundum Lucam evangelium.

Necesse autem est scripta sit ea de qua agimus operis Iulianei refutatio ante exitum anni 428/429, quo mortuus est Theodorus. Quem diem supremum obiisse ante exitum a. 428 dixit Fritzschius p. 2. Cuius argumentatio cum fere ubique corrigenda et supplenda sit, denuo quaestio est instituenda. Positum autem est disquisitionis fundamentum in loco Theodoreti h. e. V 40 (p. 495 ed. Gaisford), quo quibus temporibus gestae essent res quas narrat indicavit. Πέντε μέντοι, inquit, καὶ ἑκατὸν ἐτῶν ἥδε ἡ ἱστορία περιέχει χρόνον· ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἀρείου λύττης, δεξαμένη δὲ πέρας τῶν ἀξιεπαίνων ἀνδρῶν, Θεοδώρου καὶ Θεοδότου τὴν τελευτήν. Duxit igitur narrationem a rebus Arianis. Iam vero in eiusdem operis praefatione (h. e. I 1 p. 2 ed. Gaisford), Εὐσέβιος μὲν οὖν, inquit, ὁ Παλαιστινὸς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων τῆς ἱστορίας ἀρξάμενος μέχρι τῆς Κωνσταντίνου θεοφιλοῦς βασιλείας τὰ ταῖς ἐκκλησίαις συμβεβηκότα συνέγραψεν· ἐγὼ δὲ τῆς συγγραφῆς ἐκείνης τὸ τέλος ἀρχὴν τῆς ἱστορίας ποιήσομαι. Quibus verbis cum putare vetemur iniisse Theodoretum centum

quinque illorum annorum rationem a primis litis Arianae initiis, dubium esse non potest, quin illo loco ad synodum Nicaenam respexerit tamquam historiae suae primordium neque ob aliam causam narraverit capitibus 1—5 res Arianas antea gestas nisi quod earum mentionem Eusebius fecerat nullam. Quae cum ita sint, a recta via aberrasse mihi videtur Fritzschius, qui a victo Licinio et Constantino rerum potito historiae initium cepisse contendit Theodoretum nisus eius verbis in praefatione positis. Annorum enim centum quinque cum mentio facta sit libri V. cap. 39 fieri non potest, ut neglegatur lis Ariana eodem loco memorata, recipiatur tempus aliud alio loco dictum. Iam vero synodus Nicaena facta est a die XIII. Kal. Iul. usque ad diem XIII. Kal. Sept. anni 325. Iam vero Theodoretus fuit episcopus Cyrensis, quae paroecia pars erat dioecesis Antiochenae. Initium autem, quo tempore scripsit Theodoretus, cepit Syrorum annus a Kalendis Octobribus; cf. Ideleri epitomes temporum a. 1831 editae p. 181. Exstant sane scriptores quidam Syriaci, qui, indictionum rationem Constantinopolitanam secuti, Kalendas Septembres esse voluerunt anni initium; cf. Idelerum l. l. p. 191. 408. Sed fuisse hos perpaucos, a Kalendis Octobribus non recessisse scriptores Syriacos longe plerosque ac ne eos quidem, qui Graeca lingua uterentur, benignissime me docuit Alfredus de Gutschmid. Id autem dubium esse potest, quem annum centum quinque illorum primum esse voluerit Theodoretus, utrum eum ipsum, quo habitum est concilium Nicaenum, an sequentem, qui initium cepit a Kal. Oct. 325. Alterum si statueris, mortuum esse Theodorum censebis anno 428/429, sed anno 429/430, si alterum veri similius tibi visum erit. Id quod futurum esse haud crediderim. A. d. enim IV. Id. Apr. a. 428 episcopatum Constantinopolitanum suscepisse Nestorium testis est Socrates h. e. VII 29. Continuo coortae sunt controversiae illae Nestorianae, quarum vis in dies augebatur. Neque fieri potuit, quin iis implicaretur Theodorus Mopsuestenus, si vixit etiam anno 429/430. Neque minoris momenti altera res est. Voluit Theodoretus res ecclesiae posteris tradere a lite Ariana usque ad coortas controversias Nestorianas. Iam vero si h. e. V 40 operis finem esse dixit Θεοδώρου καὶ Θεοδότου τὴν τελευτὴν, vixisse eos duos fere annos post litis primordia nemo crediderit. Mortuus igitur est uterque anno 428/429. Neque repugnat

Theodoreti epistula LXXXIII. ad Dioscorum Alexandrinum data (edit. Schulzianae IV 1146 sq.), in qua haec inveniuntur: ἓξ μὲν γὰρ ἔτη διετέλεσα διδάσκων ἐπὶ τοῦ τῆς μακαρίας καὶ ὁσίας μνήμης Θεοδότου[1]) Ἀντιοχέων ἐπισκόπου — τρισκαίδεκα πάλιν ἕτερα ἐπὶ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου[2]) — πρὸς δὲ τούτοις ἕβδομόν ἐστιν ἔτος τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου Δόμνου. καὶ μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας τοσούτου παρελθόντος χρόνου κτἑ. Scripta autem sit necesse est ante synodum Constantinopolitanam eam, quae initium cepit a. d. VI. Id. Nov. a. 448. Nam si quis perlegerit epistulam, infitias non ibit fieri non potuisse, quin synodi mentionem in ea faceret Theodoretus, si facta tunc iam esset, neque cogitari potest postea eum Dioscori animum sibi offensiorem recolligere studuisse. — Neque vero ex Marii Mercatoris epistula a Fritzschio allata potest concludi mortuum esse Theodotum Antiochenum si minus sub exitu a. 428, at certe initio a. 429. Ubi sane appellatur Theodotus (bibl. vett. patr. cura Gallandii vol. VIII p. 650 D) sanctae memoriae episcopus; neque vero quicquam inde colligi potest nisi fuisse tunc Theodoti mortis nuntium non recentissimum. Neque vero quicquam constat (cf. eiusdem operis p. 648 C) de Marii Mercatoris commonitorii tempore nisi scriptum esse Florentio et Dionysio coss., qui inierunt consulatum Kal. Ian. a. 429; eo igitur ne prohibemur quidem statuere mortuum esse Theodotum pridie Kal. Oct. a. 429. Theodorus vero Mopsuestenus ante Theodotum diem supremum obiit teste Theodoreto. Qui quidem h. e. V 40 p. 494 κατ' ἐκεῖνον δὲ, inquit, τὸν χρόνον, καθ' ὃν ὁ θεῖος Θεόδοτος τὴν Ἀντιοχέων ἴθυνεν ἐκκλησίαν, Θεόδωρος ὁ Μοψουεστίας ἐπίσκοπος, πάσης μὲν ἐκκλησίας διδάσκαλος κατὰ πάσης δὲ φάλαγγος αἱρετικῆς ἀριστεύσας, τοῦ βίου τὸ τέλος ἐδέξατο. Quibus e verbis procul dubio efficiendum est haud ita breve fuisse tempus inter supremos Theodori et Theodoti dies. Quae cum ita sint, id certe statuere possumus non in extrema parte anni centesimi quinti Theodore-

1) Vocem τῆς post Θεοδότου a Sismondo adiectam eieci.

2) Vulg. ἐπὶ τοῦ τῆς ὁσίας καὶ μακαρίας μνήμης Ἰωάννου τοῦ ἐπισκόπου. Recepi codicis Sirmondiani scripturam, cuius etiam ea quae sequuntur verba ὃς τοσοῦτον ἰαίνετο ὑπὸ διαλεγομένων ἡμῶν praeferenda esse appareat vulgatae scripturae ὃς τοσοῦτον ἐγάννυτο (sic) διαλεγομένων ἡμῶν.

tiani ponendam esse Theodori Mopsuesteni mortem; quam cur cum Fritzschio in eiusdem prima parte ita collocemus, ut ante exitum a. 428 illum contendamus supremum diem obiisse, causa non est.

Iam vero Theodori vita accuratius examinata angustioribus fortasse terminis circumscribere poterimus temporis spatium, quo refutavit Iulianum. Constat autem — cf. Fritzschium p. 5 sqq. — una cum Ioanne Chrysostomo amico interfuisse eum scholis, quas Antiochiae habuit Libanius, quo postea relicto eiusdem Chrysostomi hortatu formatus est praeceptis et institutione Diodori Tarsensis. Dein aliquot annos presbyter Antiochiae commoratus Tarsum migravit, qua relicta per triginta sex annos episcopus fuit Mopsuestenorum. Quibus autem rebus commoveri potuit, ut refutaret Iuliani imperatoris contra Christianos libros? Cuius rei causas si coniectando assequi volumus, ne immemores simus benevolentiae, qua Photinum prosecutus est Iulianus; quibus contumeliis laceraverit Diodorum.[1]) In epistula enim LXXIX: Σὺ μὲν, inquit, ὦ Φωτεινὲ, πιθανὸς φαίνῃ καὶ ἐγγύτατος τοῦ σώζεσθαι, Diodorum autem Nazaraei magum appellavit, omne eius corpus consumptum esse, malas concidisse, cutem rugis sulcatam esse (pag. 606, 25 Hertl.) contendit propter flagitiorum multitudinem a dis immortalibus poena affecti, denique probaturum se esse Galilaeum illum, cui iniuria Diodorus divinum honorem tribuisset, leges et mysteria corrupisse ipse pronuntiaverat (p. 606, 6 sqq.). Quae cum ita sint, ratione carere non videbimur, si statuerimus Theodorum Diodori discipulum[2]) gratiam magistro rettulisse refutatis Iuliani contra Christia-

1) Scite Neander in libro qui inscribitur allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche II 1, 1829 p. 82 Iulian, inquit, meinte durch seine Künste das irre geleitete Volk gewinnen zu können, wenn ihm nur nicht die Bischöfe entgegenwirkten. Und besonders verhasst waren ihm — diejenigen Bischöfe, welche die hellenische Literatur eifrig studirt hatten und diese selbst zum Dienste des Christenthums und gegen das Heidenthum gebrauchten, z. B. die Männer, mit denen er als Jüngling in Athen studirt hatte, die beiden Freunde Basilius, Bischof von Caesarea, und Gregor von Nazianz, wie diejenigen, welche unter seiner Regierung hellenische Wissenschaft zur Bekämpfung des Heidenthums und Vertheidigung des Christenthums zu benutzen wagten, ein Apollinaris von Laodicea, und ein Diodorus, Bischof von Tarsus in Cilicien. Conferendus hic Iulianus ed. Hertl. p. 606, 15 sqq.

2) Theodoreti h. e. V 40 p. 494 οὗτος τῆς μὲν Διοδώρου τοῦ πάνυ

nos libris. Iam vero cum id dubium esse non possit, quin in libro Diodori gratia contra Iulianum scripto etiam Photinum haeresiarcham aggressus sit ille, cuius mentionem fecisset Iulianus in libris suis contra Christianos scriptis,[1]) fieri non potest, ut ante annum 378/379, qui initium cepit a Kal. Oct. anni 378, scriptam esse Theodori censeamus refutationem, quem quinquaginta paene annis fortiter repugnasse cunctis haeresibus memoriae tradidit Ioannes episcopus a Facundo laudatus.[2]) Qua autem potissimum in urbe putandus est Theodorus refutavisse Iulianum? Commoratum eum esse non ignoramus Mopsuestiae, Tarsi, Antiochiae. Antiochiae autem quoniam ipse Iulianus imperator per hiemem anni 362/363 versatus familiarissime usus erat Libanio, iratus qui ipsum oderant Antiochenis, non sine aliqua veritatis specie statuemus Theodorum in hac ipsa urbe refutationem suam scripsisse, Antiochenis sine dubio ne mortuum quidem imperatorem grata memoria prosecutis, vivo etiamtum Libanio, a quo desciverat Theodorus, cum initio eius disciplina usus esset.[3]) Iam vero nunc alterum terminum indagare possumus, ante quem ponendus sit Theodori liber. Ex Theodoreti enim verbis h. e. V 39 ἓξ δὲ καὶ τριάκοντα ἐν τῇ προεδρίᾳ διετέλεσεν ἔτη efficitur anno 392/393 episcopatum Mopsuestenum eum assecutum esse, neque vero statim

---

διδασκαλίας ἀπήλαυσεν. Ἰωάννου δὲ τοῦ θειοτάτου γεγένηται κοινωνός τε καὶ συνεργός. κοινῇ γὰρ τῶν πνευματικῶν Διοδώρου ναμάτων ἀπήλαυον.

1) Cyrilli Alex. c. Iul. VIII pag. 262. Quo loco quamquam Iulianus ne Photinum quidem laudibus effert, allata tamen eius sententia Diodoro minime probata occasio data erat Theodoro in adversarium invehendi.

2) Ioannis episcopi verba ap. Facund. pro defensione trium capitulorum lib. II. (Gallandii bibl. patr. XI p. 680^{b}B): 'sed et qui bene de vita profectus est Theodorus et quinque et quadraginta annis clare in doctrina praefulsit'; p. 680^{b}C: 'Theodorus enim, quem quando dicimus, virum dicimus in episcopatu clarum finem habentem et quinquaginta paene annis fortiter repugnantem cunctis haeresibus' sqq.

3) Socratis h. e. VI 3. Πείθει δὲ (sc. Ἰωάννης) καὶ Θεόδωρον καὶ Μάξιμον, συμφοιτητὰς αὐτῷ ὄντας παρὰ τῷ σοφιστῇ Λιβανίῳ, καταλιπεῖν μὲν τὸν χρηματιστικὸν βίον, μετιέναι δὲ τὸν λιτόν. Ὧν Θεόδωρος μὲν ὕστερον Μοψουεστίας τῆς ἐν Κιλικίᾳ πόλεως ἐπίσκοπος γέγονε, Μάξιμος δὲ Σελευκείας τῆς ἐν Ἰσαυρίᾳ. Τηνικαῦτα οὖν οὗτοι σπουδαῖοι περὶ τὴν ἀρετὴν γενόμενοι, μαθητεύουσιν εἰς τὰ ἀσκητικὰ Διοδώρῳ καὶ Καρτερίῳ κτέ.

relicta Antiochia Mopsuestiam migravit, sed antea Tarsum se contulit teste Hesychio.[1]) Quod si censemus voluisse Theodorum libro suo gratiam referre Diodoro, facti sui rationem Libanio probare, haud absonum videtur de quo quaestionem instituimus temporis momentum propius abesse ab anno 378/379 quam ab eo, quo Tarsum se contulit Theodorus.

Iam vero temporum disquisitione ad finem perducta nunc possumusne etiam cum quadam probabilitatis specie conicere, quales fuerint Theodori libri videamus. Qua de re nihil aperte traditum esse nemo mirabitur, cum fieri potuerit, ut exstitisse eos omnino negaretur. Neque enim quicquam de librorum numero effici potest ex iis verbis, quae inveniuntur ante fragmenta primum, alterum, quintum. Ex vocibus enim ἐκ τῆς πρὸς Ἰουλιανὸν non colligendum est uno tantum libro Theodorum Iuliano adversatum esse; nam eodem iure quo vox βίβλου, immo meliore in inferioris aetatis scriptore, suppleri potest συγγραφῆς. Eadem autem sunt dicenda de iis verbis, quae leguntur ante fragmentum primum; quo quidem loco etiam id dubium esse, utrum ἐκ τῆς scribendum esset an ἐκ τῶν supra breviter exposui. Ac ne tum quidem, si ἐκ τῶν vera sit scriptura, quae est etiam ante fragmentum alterum (τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν αὐτῶν), ex sola hac colligi potest constitisse Theodori refutationem libris compluribus. Posse enim voces τῶν αὐτῶν esse genetivum pluralem neutrius generis negari nequit. Verum enim vero cum in eiusmodi refutationibus adversariorum verba fere integra in contextum orationis essent recipienda iisque ipsa censura esset addenda, unum Celsi octo libris impugnavit Origenes, Porphyrii quindecim viginti quinque Eusebius, Apollinarius triginta, Methodius decem milibus versuum. Quae cum ita sint, confidenter negamus parvo libello Theodorum insectatum esse Iulianum. Qua de re plura si conicere vellemus, nimiae curiositatis vituperationem merito subiremus. Inscripti autem erant singuli libri Θεοδώρου Μοψουεστίας πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου βιβλίον πρῶτον seu τόμος πρῶτος, βιβλίον δεύτερον seu τόμος δεύτερος etc. Id quod efficitur ex verbis frag-

1) Harduini acta conciliorum. Parisiis. 1714. fol. III p. 104 A: Antiochia relicta in Tarsum transmigravit: ex qua in Mopsuestiam transiit, ordinatus in ea episcopus.

mento primo praemissis, quae supra exposuimus ita scribenda esse: Θεοδώρου Μοψουεστίας ἐκ τῶν πρὸς τὰς κατὰ Χριστιανῶν κατηγορίας Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου. Iam vero consentaneum est Theodorum Diodori discipulum Iuliani impetum repressisse opposita scholae Antiochenae doctrina. Quae quidem fuit talis, ut eam si sequebatur Theodorus, non omnia quae dixerat Iulianus impugnare, immo nonnulla non posset non comprobare. Discessit enim ab ea quae illo tempore ab omnibus fere recepta erat doctrina, cum in veteris testamenti scriptis negaret dictum esse de Christo dei patris filio. Eam autem fuisse eius sententiam intellegitur ex commentario in Zach. I 7—11 (Theodori Antiocheni Mopsuestiae episcopi quae supersunt omnia ed. A. F. V. a Wegnern. vol. I. p. 538), ubi inveniuntur haec: Πολλῆς δὲ πλάνης καὶ ἀνοίας ἐστὶ μεστὸν καὶ οὐδὲ ἀσεβείας ἀφεστὸς τὸ παρά τινων λεγόμενον, ὅτι τὸν υἱὸν ἑώρα (sc. Zacharias) τοῦ θεοῦ, δήλου γε ὄντος, ὅτι τῶν πρὸ τῆς τοῦ δεσπότου Χριστοῦ παρουσίας οὐδεὶς ἠπίστατο πατέρα καὶ υἱόν, οὐ πατέρα θεὸν υἱοῦ θεοῦ πατέρα, οὐχ υἱὸν θεὸν υἱὸν πατρὸς θεοῦ τοῦτο ὄντα ὅπερ ἐστὶν ὁ πατήρ, ἅτε καὶ ὄντα ἐξ αὐτοῦ. Et post paullulum: πατέρα δὲ θεόν, ὥσπερ οὖν ἔφην ἤδη, υἱοῦ θεοῦ καὶ υἱὸν θεὸν θεοῦ πατρὸς ἠπίστατο τῶν τότε καθάπαξ οὐδείς. Permulta igitur, quae de eadem re in eandem sententiam disputaverat Iulianus, ea impugnare in mentem venire non poterat Theodoro. Afferuntur autem etiam haec ipsius verba[1]): „Homo homini consubstantialis, Deus autem Deo consubstantialis. Quomodo ergo Deus et homo unus per unitatem esse possunt? Salvus et qui salvatur? Qui ante saecula et qui ex Maria apparuit?" Et Leontius Byzantinus contra Nestor. et Eutych. lib. III (Gallandi XII p. 686ᵇC) „Hic exsecrabilis" inquit „in celeberrima ecclesia Antiochiae, ut quondam vocabatur, nunc autem Theopolis, cum explanaret scripturas, ausus est cum multa alia, tum vocem θεοτόκος, id est, Deipara, vituperare, ut ita inde totum contra se populum commoveret." Ergo ne ea quidem displicere poterant Theodoro, quae exposuerat Iulianus ap. Cyr. p. 262C sqq. 276E sq.

1) Harduini coll. concil. III p. 99 C.